## ¶ Sermo

angelus hec ei diceret si peccatū hoc eēt.
Ergo vxorē cognoscere causa ꝓlis abun
de ad cultum dei nutriendū non est pctm̄
sed poti⁹ magnū bonū. Item dr̄ Math.
viij. ꝙ dn̄s intrauit domū vbi socrus pe
tri tenebatur magnis febrib⁹. sed si socr⁹
erat eius filiā petrus i vxorem habebat
nec eam ob xp̄i discipulatū dimiserat. q̄r
dn̄s ꝯtrarium dicebat ¶ M Matri
moniū non est malū sed bonū In verbo
ergo premisso ostendūtur nuptie honora
biles. primo ex ꝑte inuitantiū. scd̄o vero
ex ꝑte ꝯuiuantiū. Nam ad nuptias inui-
tantes fuerūt sancti dn̄i ꝯsobrini. sed inu
ptijs ꝯuiuantes fuerunt sanctissimi. quia
mater dn̄i xp̄s et eius discipuli. primū no
tat̄ cum dr̄. Nuptie facte sunt supple a cō
brinus dn̄i. scd̄m vero notat̄ cū addit̄. et
erat mater iesu ibi. Ut ergo de carnalib⁹
nuptijs nihil vltra dicamus q̄r abūdāter
iam diximus quātū ip̄e dn̄s est honorare
dignatus. Notandū est breuiter ꝙ domi
nus noster triplices nuptias fecit. nam pri — Dn̄s 3es nuptias fecit
mas nuptias celebrauit in virginis vte-
ro ꝑ nostre nature assumptiōnem. Secun
das nuptias celebrauit in crucis patibu-
lo ꝑ ecclesie sibi copulatōem Tercias nu
ptias fecit in celo per eternā refectōnem.
Dico ꝙ primas nuptias dn̄s fecit in vir
ginis vtero dū nostrā naturā assumpsit.
et sibi eam ꝑpetuo copulauit. O quales
nuptie fuerūt iste. q̄z humano generi p̄ci
ose. q̄z delicōse q̄z amāde. q̄z venerande
quātis laudibus extollende. In quo rex
noster nos magis potuit honorare. q̄z no
strā naturā sibi vnitate ꝑsone vnire. vt
nō sit alius dei alius homis filius sed idē
et vnus simul homo et deus. O quanta
gratia. q̄z ampla misericordia q̄z immen
sa caritas q̄r nō angelos app̄hendit. ⁊ ꝓ
pterea ad gaudēdū inuitamur Apo. xix.
Gaudeamus inquit et exultemus et de-
mus gloriā deo. q̄r venerūt nuptie agni.
et vere dicunt̄ facte in chana galilee. q̄a
ex zelo amoris maximi factus est vt a sū

mo celo esset ēgressio eius. et ꝙ ip̄e tanq̄z
sponsus ꝓcedens est z de thalamo suo
E ¶ Secūdas nuptias fecit i ligno q̄n
ecclesiam sanguine suo mūdauit. ⁊ eam sibi
perpetuo federe copulauit He nuptie q̄z
uis fuerūt sponso valde amare nobis fa-
cte sunt valde ꝓficue. dum nobis carnez
tradidit in cibū et sanguinē suū in potum
et se totū in p̄ciū. vn̄ dr̄ ad Ephe. v. xp̄s
dilexit ecclesiam ⁊c̄. ⁊ id̄o de his nuptijs ex
ponit̄ illud Math. xxij. Simile factū est
reg. ce. ho. regi qui fecit nup. fi. suo Tūc
em̄ de⁹ pater filio suo nuptias fecit q̄n et
ecclesiam copulauit Tercias nuptias domi
nus fecit et facit in celo dū dilectos suos
sibi in gloria copulat. et de torrēte volup
tatis sue satiat. ⁊ de vino sue vbertatis i
ebriat ps. Inebriabunt̄ ab vbertate do-
mus tue et id̄o ipse dic̄ Luc̄. xiiij. Ecce pa
rata sunt om̄ia venite ad nuptias. O fe
lices nuptie vbi om̄es ꝯuiuantes sunt re
ges. vbi ferculū mense impositū est om̄e
bonū. et vbi mister est summū bonum. et
ꝓpterea dr̄ Apo. xix. Beati qui ad cenā
nuptiaꝝ agni vocati sunt Nonne illi ve
re beati sunt quib⁹ om̄ia opa bona succe
dunt et om̄ia mala absunt. Ad hanc igit̄
cenā nos dn̄s introducat cui soli cū patre
⁊ spū̄sancto est honor et gloria amen.

¶ Dn̄ica. ij. post octa. epi. ser. xxxiij. ¶ A

Qvantum ex vo
bis est cum om̄ibus hōibus pa-
cem hn̄tes Ro. xij. Inter omnia
creata tam tempalia q̄z eterna pax obti-
net principatū sine qua nulla posset eē vi
ta beata et qua ꝑfecte habita beata ē aīa
vnde Aug⁹ dic̄ ꝙ nihil est aliud vita be
ata q̄z pax eterna. vn̄ sic̄ ꝑ naturā omnis
homo beatitudinē optat. sic om̄is hō pa-
cem desiderat. q̄r et si seuissima bella q̄s
gerat. hoc tn̄ ideo facit vt victoriā obti-
neat et sic ad verā pacem perueniat. sic̄
Aug⁹ de ciui. dei diligēter explanat. In
verbo ergo premisso docet ap̄lus primo

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-472/0094
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG